



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 361. Usque Ad Annum 395

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1758**

**VD18 90117786**

§. 1. Concilium Constantinopolitanum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66032)



HISTORIA  
ECCLESIASTICA.  
LIBER XVIII.



DAMASUS, PAPA.

GRATIANUS, VALENTINIANUS II.  
ET THEODOSIUS, IMPERA-  
TORES.

§. I.

*Concilium Constantinopolitanum.*

Cum Theodosio Imperatori nihil ita Sæculum IV.  
cordi esset, ac omnium Ecclesiarum A. C. 381.  
concordia, initio Regni sui statue-  
rat, cunctos Episcopos sibi subjectos Theod. V. c. 6  
Constantinopolim convocare; Pastor deerat Socr. V. c. 8.  
vastissimæ urbi. S. Gregorius discessurus  
erat. Nulla erat ordinatio Maximi, qui  
nihil

Qq 5

**Sæculum IV.** nihilominus suos Sectatores habebat.  
**A. C. 381.** Schisma Ecclesiæ Antiochenæ adhuc dum  
 durabat. Non nulli sperabant, Macedo-  
 nianos quoque ad sinum Ecclesiæ redi-  
 posse. Ergo Theodosii jussu (\*) Con-  
 cilium congregatur mense Majo. Eucherius  
 & Syagrius Consulibus. Seu anno 381.  
 Adfuere centum quinquaginta Episcopi  
 Catholici, quorum præcipui erant, S. Me-  
 letius Antiochenus cum duobus suis Pres-  
 byteris Flaviano, & Elpidio. Helladius  
 Cæsariensis in Cappadocia, S. Basilii Suc-  
 cessor. S. Gregorius Nyssenus. S. Pe-  
 trus Sebastenus, frater ejus. S. Amphilo-  
 chus Iconiensis. Optimus Antiochenus  
 in Pisidia. Diodorus Tarsensis. S. Pela-  
 gius Laodicensis. S. Eulogius Edeffenus.  
 Acacius Bereensis in Syria. Isidorus Cy-  
 rensis. S. Cyrillus Jerosolymitanus. Ex  
 Nepos ejus, Gelasius Cæsariensis in Pa-  
 læstina. In subscriptionibus quoque vi-  
 suntur Dionysius Diospolitanus in Pala-  
 estina.

(\*) Concilium istud, sicut bene notat An-  
 nymus I. non solius Theodosii, sed etiam S. Da-  
 masi Papæ Auctoritate convocatum. Id enim  
 certum est ex Epistola Patrum hujus Concilii an-  
 no sequenti ad S. Damasum data. *Convenerimus enim Constantinopolim ex litteris superiori  
 anno a Vestra Reverentia post Aquilejense Con-  
 cilium ad Carissimum Deo Imperatorem missis.*  
 Theodoretus Lib. V. Cap. VIII. Concil. Tom. II.

laestina. Vitus Carrensis in Mesopota-  
 mia. Abraham Bathenensis. Antiochus  
 Samofatenus, S. Eusebii Nepos, & Suc-  
 cessor. Bosphorus Coloniensis in Cap-  
 padocia. Otreus Melitinensis in Arme-  
 nia. Omnes aliunde, & præsertim ex  
 S. Basilii Epistolis noti. Quibus necdum  
 adnumerati sunt Episcopi Ægypti, & Ma-  
 cedoniæ, qui deinde venerunt. Theodo-  
 sius etiam Episcopus Sectæ Macedonianæ  
 advocavit, non omni spe abjecta, eos Ec-  
 clesiæ reconciliari posse; adveneruntque  
 triginta sex viri, plerique ex Hellespon-  
 to; potiores inter eos erant Eleusius Cy-  
 zizenus, & Marcianus Lampsacenus. Qui  
 centum octoginta Episcopos Concilii Con-  
 stantinopolitani numerarunt, verosimi-  
 liter etiam Macedonianos adjunxerunt.  
 Ad hoc Concilium solius Orientis Epis-  
 copi vocati sunt, nam Theodosius, qui  
 convocaverat, non alios Episcopos quam  
 suæ Ditionis accivit, & Hæreses, quæ e-  
 rant reprimendæ, in solo Oriente gras-  
 sabantur. Nemo legitur Nomine S. Da-  
 masi, aliorumve Occidentalium inter-  
 fuisse, nihilominus velut secundum Con-  
 cilium Oecumenicum, seu Universale

Sæculum IV.  
 A. C. 381.

*Prosper.  
 Chron. an.  
 381. Theod.  
 V. c. 6. 7.*

*v. Pagi. an.  
 381. n. 4. 5. 6.*

*Theod. V. c. 6*

S. Meletius primum Concilio præ-  
 fuit, cui honorem haud vulgarem Theo-  
 dosius

**Sæculum IV.** dosius exhibebat. In memoriam redi-  
**A. C. 381.** bat Imperatori, sibi post insignem victo-  
 riam, de Barbaris reportatam, in somnio  
 S. Meletium occurrisse, pallium Cæle-  
 reum suis humeris circumdantem, & co-  
 ronam imponentem capiti. Redeunte  
 luce somnium uni amicorum narravit,  
 qui respondit, somnium esse clarissimum,  
 & sine ænigmate; vera prædixisse Mor-  
 pheum, eventus monstravit, quippe pa-  
 cos post dies Theodosius a Gratiano ad  
 Imperii societatem assumptus est. Dum  
 igitur Episcopi ad celebrandum Conci-  
 lium Constantinopoli erant congregati,  
 & Regiam intrabant, ut salutem dicerent  
 Imperatori, præcepit, ne quis ipsi Mele-  
 tium ostenderet, sed facile exhibitam  
 sibi antea speciem agnovit, & præteritis  
 aliis in ejus amplexum festinavit, os, o-  
 culos, pectus, manum, qua ipsum coro-  
 naverat, osculatus. Præfagia deinde, si-  
 bi in somno ostensa, narravit. Reliquis  
 etiam sinceræ amicitiae signa dedit, ro-  
 gavitque tanquam Filius Patres suos, ut  
 Ecclesiæ rebus consulerent.

Nihil minus moram patiebatur, quam  
 Electio Episcopi, qui Sedem Constantino-  
 politanam occuparet; igitur ante omnia  
 ordinationem Maximi nullam pronun-  
 tiarunt Patres, & expressum Canonem  
 hac super re condiderunt, hujus tenoris;  
**Conc. C. P.** Maximum Cynicum nec unquam fuisse,  
**can. 4.** nec

nec jam esse Episcopum; quos promo-  
 visset ad quemcunque Clericorum gra-  
 dum, Clericis non esse accensendos, atque  
 omnia pro ipso, vel ab ipso facta nullius  
 esse valoris. Tum Imperator, qui S. Gre-  
 gorii Nazianzeni virtutem, & eloquen-  
 tiam suspiciebat, desiderare se dixit, ut  
 in Sedem Constantinopolitanam colloca-  
 retur; ipse primo cum clamore, & lacry-  
 mis resistebat, sed tandem flecti se passus  
 est, sperans se, ut ipse fatetur, ob situm  
 urbis Constantinopolitanæ Ecclesias O-  
 rientalem, & Occidentalem concilian-  
 di (\*) occasionem nacturum, a tanto tem-  
 pore ob schisma Antiochenum divisas.  
 Itaque, quod Imperator optabat, S. Gre-  
 gorius a S. Meletio, aliisque Concilii E-  
 piscopis solemniter Episcopus Constanti-  
 nopolitanus constitutus est.

## §. II.

*S. Meletii obitus.*

Haud multo post S. Meletius Constan-  
 tinopoli vivis excessit, ubi sæpius  
 Greg. Nyss.  
 or. in Melet.  
 ad p. 1024. to. 2.

(\*) Ex Schismate Antiocheno non est or-  
 tum Schisma inter Ecclesiam Orientalem, & Oc-  
 cidentalem; nam quamvis Papa S. Paulinum tan-  
 quam Episcopum Antiochenum agnovisset, nun-  
 quam tamen S. Meletium, nec illos Orientales,  
 qui eum sequebantur, a sua Communione ex-  
 clusit.